

CONCIO III.

E TEMPO QUI DETERIORES REDEANT.

I. Qui intrant ut ciconiæ. — II. Qui intrant ut infantes. — III. Qui sicut rustici.

THEMA.

Descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Luc. XVIII.

Mira res, auditores, duo homines ascendunt in templum ut orent, Pharisæus et Publicanus, et tamen in tam sancto loco non ambo sanctificati sunt; sed unus ibi a peccatis ablatus, alter peccatis inquinatus est: unus inde vitam, alter sibi mortem extulit. Quidnam hoc est, obsecro? Nonne templum locus est, in quo veluti in thermis salutaribus sanantur ægri? *Ecclesia sane locus quidam est medicinæ spiritualis*, inquit S. Chrysost. hom. I. in Genesin, *et eos qui huc veniunt, decet ne domum redeant, nisi congrua remedia acceperint, illaque suis vulneribus adhibuerint*. Quomodo igitur Pharisæus e templo domum redit sauciatus et vulneratus? Rem hanc declarare mihi videtur David, Psalm. XXI. ubi domum suam, ab arcæ presentia sanctificatam, et mystice Ecclesiam nostram appellat *locum pascuæ: In loco pascuæ ibi me collocavit: et recte, in ecclesia enim saginamur velut oves Christi in prato, pascuis verbi Dei, orationis, missæ et sacramentorum*. Jam vero in locum pascuæ seu pratum ingrediuntur oves, et pabulum inveniunt, satiatumque ventrem efferunt: in pratum involant aves, milvi et ciconiæ et inveniunt ibi mures, ranas, bufones et serpentes, eosque comprehensos inde secum auferunt: intrant denique et homines; sed alii velut infantes, flosculos viles et fugaces, alii fœtentes, alii mortiferos inde secum auferunt. Idipsum videre est in templo, in quod multi ingrediuntur, et suo sæpe damno pejus egrediuntur, dum noxia secum efferunt, e bono licet prato, uti videbimus.

I. Involant aliqui in templum sicut ciconiæ et milvi, sed non auferunt inde nisi ranas. Qua ratione? Primo, ranæ infames sunt a clamoribus, quibus unitim garrientes aerem replent, et hominibus obstrepunt. Quibus simillimi sunt qui in templo confabulantur, nova indagant, ac recensent. Isti ergo ranas et quærent in templo et secum auferunt, quamquam et a ranis istis pudefiunt, quia sæpius ranæ sub re divina tacere jussæ, tacuerunt, ut dixi alibi. Intrant ergo isti ut homines, et fiunt in templo ranæ; nonne igitur pejores exeunt? Si enim domi

dicere deberent quid in templo profecerint, nisi confabulationem suam afferre possent. Faciunt igitur e templo paludem ranarum. Parumne hoc est? Nonne flagello Christi dignum, qui negotiantes ejecit?

Secundo, alii efferunt serpentes; qui ad instar aspidum obturant aures, ne audiant Dei verbum in templo, quo arguuntur. De quibus Psalmo LVII. dicitur: *Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ et obturantibus aures suas; quæ non exaudiet vocem incantantium*. Ut enim aspis, teste Isidor. lib. XII. Origene, capite IV. Augustino, Arnobio, et aliis, ne incantationem audiat, aurem alteram terræ affigit, alteram cauda obturat; ita aliqui, ne pungantur Dei verbo, studio avertunt mentem ad cogitationes terrenas, vel in libellum aliquem inspicunt, aut aliquid legunt. Quales erant illi Judæi, qui ad concionem Stephani confinverunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum, Act. VII.

Dicet aliquis, parum referre si legamus potius in libello pio, quam si audiamus concionem. Respondeo, si ideo legas ne verbum Dei audias, gravius te peccare, quam si Christum volentem ingredi domum tuam excluderes. Duo illi Boanerges, cum Christum Samaritani excluderent ab ingressu civitatis suæ, dixerunt: *Vis dicimus, ut descendat ignis de celo, et consumat illos?* Luc. IX. Non permisit quidem id Christus, quia non magni aestimabat ex oppido, sed maximi aestimat excludi e corde; quod faciunt qui aures verbo Dei claudunt, de quibus Christus, Matth. X. ait: *Sodomæ et Gomorrhæ tolerabilius fore in die judicii, quam ipsis*.

Tertio, alii efferunt mures. Qua ratione? Mures semper aliquid rodere gaudent. Et tales sunt qui concionatorem judicant et carpunt, quod non eleganter dixerit, quod non erudite, quod oscitanter, quod fabulosa attulerit, etc. De his Ezech. XXXIII. dicitur: *Audiunt sermones tuos, et non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos: et est eis quasi canticum musicum, quod suavi dulci que sono canitur*. Quomodo vertunt in canticum oris sui? Quia sicut ipsi nil nisi ludicra et fabulosa in ore habent, ita concionatorem non nisi fabulosa dicere putant. Quales enim ipsorum fauces sunt et palatum, talis videtur esse illis verbi Dei sapor. Unde S. Ambrosius, in Psal. XI. ait: *Quomodo possunt verba Dei dulcia esse in faucibus tuis, in quibus est amaritudo nequitiae?* Quomodo canticum musicum? Quia censent concionem esse docte concinnatum figmentum ad demulcendas aures excogitatum. Sed quid de his propheta? *Cum venerit quod prædictum est*

(ecce enim venit) tunc scies, quod propheta fuerit in Israel. Venit, inquam, postridie illius prædictionis nuntius ex Judæa in Babylonem ad Ezechielem, verificans prædictionem prophetæ, ac dicens: *Vastata est Jerusalem, scilicet a Chaldæis, ut ibid. § XXI. habetur*.

Quarto, alii efferunt bufones. Qui injiciunt oculos impudicos in aliquas personas, quarum species illis hæret in corde et virus diffundit; quid nisi fœdum et venenatum bufonem efferunt? Bufones solem fugiunt, unde in cavernas se abscondunt, fimum et lutum diligunt, et tales sunt libidinosi bufones: cum tangantur, veneno inficiunt. Venus etiam cum aspicitur solum fundit venenum, bufonem nemo non horret: cur non magis fugienda Venus? Ezech. VIII. monstraturus Deus prophetæ abominationes pessimas, quas faciunt in templo homines, jubet ipsum fodere parietem templi et introspicere. Vidit ergo picturas varias reptilium et animalium, uti crocodilorum, serpentum, felium, bufonum, talparum, vespertilionum (quæ Ægyptii velut numina colebant) aliaque idola, et viros ante ea stantes cum thuribulis in manibus, quasi illis sacrificantes. Quæ hæc abominatio pessima, nisi oculi lascivorum in templo aspicientes imagines illas bufonum virulentorum? Unde minatur eis Deus furorem et indignationem suam, dicens: *Non parces oculus meus, nec miserebor: et cum clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos*.

II. Alii intrant cum infantibus, qui non nisi viles aliquot flosculos ibi decerpunt et secum auferunt. Flosculi sunt partim suavis musica templi, partim jucundæ narratiunculæ quæ subinde insperguntur concionibus a verbi Dei præconibus, eo tantum fine, ut sint vehicula verbi divini, et ut auditores ad seriâ plerumque somnolentos excitent; ac denique ut traditam veritatem solertius memoriæ commendent: solent enim magis hæerere, quæ jucundiora et gratiora sunt. Itaque, sicut flores in mensam spargimus, tametsi eos non comedimus, et rursum varia bellaria vel condimenta ciborum, ut gustum excitent et acuant, non ut inde fames sedetur; ita gratiosa quædam interdum miscentur concionibus, ut appetitum audiendi saniora acuant, somnolentiam pellant, etc. Quis nescit medicos delicatis ægris ingratas potiones saccharo aliisve dulciantibus miscere? Pharmacopeios sua pharmaca speciosis vasculis propinare, ut nauseam ægris arceant? Sic agunt concionatores. Medici et pharmacopolæ salutare dumtaxat herbas colligunt ex hortis, flosculos alios negligunt: infantes contra istos colligunt, illos vero negligunt.

Alii, quia non habent internum animi ornatum, pauperiores Pharisæo, explicant externum in forma et vestitu, instar pavonum, qui tunc expandunt flabellum suum, et spectandum arrogantes proponunt, cum sui amatores vident. Videntur isti non venire ad templum ut Christum et rem divinam videant, sed ut ipsi videantur, quomodo fertur aliquando dixisse Carolus V. imp. de quodam duce de Naiara, qui visurus imperatorem petit accessum. Cumque magna admodum pompa et splendore adventaret, videns eum Carelus, dixit: *Profecto hic, non tam ut nos videat, quam ut a nobis videatur, videtur advenire*. Porro hæc superbia fœtor est et coram Deo, ut ex angelo illo patet, qui, cum eremita incedens, clausit nares, non ante cadaver, uti eremita fecerat, sed ante comptum juvenem, addens causam: *Tu cum sis caro, sentis fœtorem carnis. Nos autem quia spiritus sumus, sentimus fœtorem spirituum qui ex peccatis procedit; qualis hic est superbia*, apud S. Antonin. IV. p. summæ, tit. XIV. cap. VI. § I.

Alii pestilentes etiam ac mortiferos: uti puer ille Elisæi, qui missus in agrum ad colligendas herbas pro pulmento, collegit colocynthidas, herbas amaras et pestiferas, putans esse uvas silvestres, quas cum coxisset, clamaverunt epulantes: *Mors in olla*, IV. Reg. IV. Et qui isti? Utique illi, qui ad templum veniunt sacra percipere, velut herbas optimas, colligunt mortiferas, dum indigne ea suscipiunt: uvas quærebant, et labruscas efferunt ac mortem: nam: *Mors est malis, vita bonis*, inquit S. Thomas Aquinas in hymno. Similiter et illi, qui auditum Dei verbum sinistre interpretantur, et trahunt ad suam perniciem: quomodo tres illi latrones deprædaturi horreum S. Wi. abbatis, cum id nocte intempesta ingressi, aperto ostio, multaque luce perfusum cernerent, dixerunt: *Videtur Deus probare facinus nostrum. Unde enim alioquin hæc lux et aperta ostia?* In vita, III. mart. apud Sur. Sic enim improbi lucem verbo Dei sparsam ad suas intentiones detorquent.

III. Alii intrant sicut rustici in pratum, ut inde fœnum evehant, quod tamen domi mox e curru ejiciunt. Et tales sunt, qui mox obliti quæ audierunt bona, nihil eorum agunt: de quibus II. Petr. II. dicitur: *Melius erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti*. Huc etiam pertinent, qui rem divinam, cui interfuerunt, parvi aut nihil aestimant ac pro ludo habent. Hujusmodi exemplum describit Æneas Sylvius, in descriptione Europæ, c. XXI. de nobili quodam Styro in hæc verba: « Fama est, eaque celebris, inter Styrienses nobilem quempiam fuisse, cui sæpe in animum ceciderit

seipsum laqueo suspendere. Id ægre ferentem ex docto quodam viro remedium petivisse adversus eam tentationem. Consilium datum, proprium uti sacerdotem conducere, qui sibi manenti in arce quadam solitaria singulis diebus rem divinam faceret: paruisse nobilem atque annum ferme continuasse, nulla suspendii cogitatione interveniente. Postremo rogatum a sacerdote ut presbytero vicino, qui templi dedicationem in proximo monte habiturus esset, auxilio esset, licentiam dedisse, proponentem in animo paulo post sequi, et sacris interesse. Stetisse diu postea, nunc una nunc altera causa retentum. Denique, circa meridiem profectum agresti cuidam in nemore occurrisse, qui rem divinam in monte peractam esse et populum omnem abiisse diceret. Contristatum eo nuntio nobilem infelicemque se esse dicentem, quia eo die sacratum Christi corpus non vidisset, agrestem consolari cœpisse. Venditurum, si vellet nobilis emere præmium, quod inter existendum divinis meruisset, sagumque nobilis petivisse pretii nomine. Venditione facta, nobilem nihilominus montem ascendisse atque orasse in templo. Reversum autem in proxima arbore suspensum agrestem invenisse, sed postea diris cogitationibus haudquaquam vexatum fuisse. » Ita ille. Nonne videmus hic Pharisæum et Publicanum alterum mortem, alterum vitam e templo extulisse?

Quare, auditores, si cum Publicano in templo justificari, non cum Pharisæo inquinari volumus; si vitam, non mortem e templo efferre, intremus non ut milvi et ciconiæ, non ut infantes, non ut rustici, sed ut oves in pascua, simplici et recta intentione, ut pascamus animas nostras, etc.

CONCIO IV.

CONTRA SUPERBIAM REMEDIA.

I. Consideratio majestatis divinæ. — II. Consideratio propriæ infirmitatis. — III. Consideratio vanitatum, de quibus homo superbit.

THEMA.

Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Luc. XVIII.

Duellum spectavimus in hodierno evangelio, inter Pharisæum et Publicanum, quale fere commissum fuit olim inter Goliathum et Davidem, I. Reg. XVII. Prodiit ibi Goliath cum magna corporis mole ac robore Davidi insultans, confusus in armis suis, gladio, hasta et clypeo: David autem neque statura magnus neque armis

munitus præterquam funda et lapidibus, confusus in nomine Domini: et tamen exilis vastum inermis armatum stravit. Prodit etiam hic in hodierno evangelio Pharisæus jactans opera sua bona, et insultans Publicano. Prodit et Publicanus, sed humilis et inermis, sola orationis funda instructus, Deique misericordiæ confidens atque orans: *Deus propitius esto mihi peccatori*; et ecce hoc uno lapide sternit et vincit Pharisæum, descenditque justificatus, velut David triumphans in domum suam. Quis hic Goliathus? Quis hic Pharisæus, nisi superbia, *vitiorum regina*, uti appellatur a S. Gregorio, libro III. moralium, capite XXXIII. princeps inter capitalia peccata? Hæc fastu et arrogancia sua nemini non insultat, etiam perfectis viris, eosque ad certamen provocat et extrema minatur. Itaque pugnandum est contra illam humilitatem Davidis et Publicani. Ac siquidem eam vicerimus, sperandum est non difficile superaturos nos alia vitia: non aliter ac, devicto Goliatho, fugerunt omnes Philisthæi. Qua vero ratione pugnandum sit, nunc videamus.

Tribus armis David ad certamen se instruxit, lapide, funda, baculo. Tria etiam arma suppeditat nobis contra superbiam S. Chrysost. hom. XLIII. ad pop. « Quomodo, inquit, possumus superbiam extinguere? Si Deum agnoscamus. Nam si ex ignorantia Dei nascitur: cum ipsum cognoscimus expellitur omnis insolentia. Cogita ipsam humanam naturam, quod nihil sit homo. Præsentium rerum vilitatem cogita, et quod ab umbra somnioque nihil differant. Hæc poterunt nos a tali proposito abstrahere. » Eadem proponit D. Thomas, II. II. q. CLXII. art. VI. ad I. *Postquam motus superbiæ deprehensus fuerit per rationem, inquit, tunc facile evitatur.*

I. Ex consideratione magnitudinis divinæ, secundum illud Job. XV. *Quid tumet contra Deum spiritus tuus?* Verba hæc protulit Eliphaz ad Jobum cogitatione et oculis in cœlum abreptum: *Quid te elevat cor tuum; et quasi magna cogitans attonitos habes oculos? Quid tumet contra Deum spiritus tuus?* Verius ad superbum verba hæc dirigendasunt, qui elevat cor suum contra Deum, et quasi magna cogitans hominesque contemnens, attonitus cœlum spectat; sed stulte. Quis enim divinam majestatem cogitans, non dico se erigere, sed vel aliquid esse cogitare potest? Certe sancti quique, quo propius ad Deum accessere, eo magis nihil se esse cognovere: non secus ac luna, quæ quo magis soli appropinquat, eo magis perdit lumen suum. Moyses cum Deo loquens, impeditum se lingua ab eo tempore fatetur, Exod. IV. Isaias Dei arcana aspi-

ciens, impurum se labiis clamat, Isa. VI. Paulus ad tertium cœlum raptus, nescit loqui quæ vidit: quemadmodum qui fixis oculis solem aspexit, turbatur visu et pene cæcatur. Sancta illa quatuor animalia, cum fieret vox super firmamentum, submittebant alas suas, Ezech. I. Quia nimirum sancti: *Tanto sunt apud se humiliores, ait in eum locum S. Gregorius, quanto cum illud alium est, quod super angelos sonat.* Dicat nobis Isaias, quanta sit divina majestas: *Ecce gentes, inquit, cap. XL. quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Ecce insulæ quasi pulvis exiguus.* In quem locum S. Chrysost. hom. II. de incomprehen. Dei nat. et in c. I. ad Eph. ser. III. ait: *Cogita ergo quanta hujus stillæ vel guttulæ pars tu sis, et quantus sis respectu Dei*: et S. Hieronymus, in eum locum: *Quomodo si a stillula modica stilla fluat a portante, negligitur: ita universa gentium multitudo, supernis ministeriis comparata, pro nihilo ducitur.* Momentum stateræ, ex Hebr. *sachar*, est minimus pulvisculus, qui injicitur in stateram, et pondus nec auget, nec minuit. Hujusmodi pulvisculi sunt insulæ, regna, maria. Quid ergo jam eris tu unicus homunculus? Nonne cum Abrahamo pulvis et cinis? Itaque homo, si a Deo se elonget, non attendendo ad ejus majestatem, tunc quidem se aliquid esse, et quandoque magnum reputat, indeque insolere incipiat: at ubi Deo appropinquat, eum cogitando, ibi nihil se esse conspicit, aitque cum Davide: *Substantia mea tamquam nihilum ante te, Ps. XXXVIII.* Sic stellæ, absente sole, lucem suam ostentant; præsentem abscondunt, quia respectu ejus nullæ sunt. Declarat idem B. Dorotheus, fr. de renuntiatione doct. II. « Memini, inquit, cum aliquando de humilitate verba faceremus, et quidam de illustribus viris Gazensibus audisset nos isthuc idem asserentes: nimirum, quod quanto quis Deo propius adhæret, tanto se magis peccatorem agnosceret, et viliores prædicaret: admiratione illum et stupore affectum dixisse, quomodo hoc fieri potest? Ignorabat enim, et volebat addiscere. Tum ego illi aio: Dic mihi obsecro, præclare Domine, quem locum habes in tua civitate? Ille vero respondit: Magnum quidem et principem locum teneo. Dico illi: Si Cæsaream iveris, quem locum ibi obtinebis? Viliores, inquit, et pejorem omnibus qui illic degunt. Tunc ergo: Si vero, inquam, Antiochiam perrexeris, quem ibi te faceres? Cui ille: Ut rusticum certe et semipaganum me haberem. Quod si ad regiam civitatem, inquam ego, perrexeris Constantinopolim, tibi meum putares? Certe, inquit, ut pauperem et mendicum me existimarem. Tunc ego illi: Ecce, inquam, ita se ha-

bent sancti viri, quanto propius et vicinius ad Deum accedunt, tanto se viliores aspiciunt et peccatis magis onustos. Sic Abraham, cum videre Dominum meruisset, terram se vocavit et cinerem: Isaias virum pollutum labiis, etc. » Si denique et Job dixit, c. XLII. *Nunc oculus meus videt te, idcirco ipse me reprehendo et ago penitentiam in favilla et cinere*, h. e. putavi me terram et cinerem, ut habent Septuaginta. Ergo sanctissimi quique, quo altius ad Dei contemplationem evecti fuere, eo magis se nihil esse viderunt: *Quid igitur tumet homo contra Deum?* Nondum vidit Job Dei Filium se exinientem, ut fieret et appellaretur *Filius hominis*; nondum humiliantem se usque ad mortem crucis. Hoc videmus nos. Non igitur reprehendat se superbus, videns ante se Dei Filium propter se adeo humiliatum, imo humiliantem semetipsum: nec appellentem se, quod erat, *Dei Filium*, sed quod misericorditer assumpserat, *Filium hominis*, quod gloriæ erat occultantem, quod humilitatis demonstrantem?

II. *Ex consideratione propriæ infirmitatis*, ait S. Thomas, loco cit. secundum illud Eccl. X. *Quid superbis terra et cinis?* Jonam fugitivum ita interrogarunt nautæ: *Quod est opus tuum? Quæ terra tua? Et quo vadis?* Jon. I. Hæc tria sunt, quæ de se exquirere debet homo, ingressum, progressum, et egressum: *De quo factus sit homo, quid faciat homo, quid futurus sit homo?* ut ait S. Innocent. III. dom. septuag. ser. I. *Quæ terra tua?* Terra utique turba seu Adama, ex qua factus est homo. Hæc enim origo et patria nostra nonne admonet nos ne superbiamus? Bene Eccl. c. X. *Non est creata hominibus superbia*, q. d. non competit hominibus superbia, sed potius humilitas: sicut rusticis non est creatum holosericum, gemmæ et uniones; quia non conveniunt illis, sed sagum rusticianum potius. Quare, sicut apes arrepto lapillo se prægravant armantque contra ventum, et sicut naves saburra onerantur contra tempestates; sic armare se homo cogitatione terræ, matris suæ, debet contra superbiam. Unde Ambrosius, lib. III. ad virg. *Contemplationem corporis velut navis saburram suscipe, ne in tantis mundi fluctibus jactantiæ alicujus aura te circumferat.* Hoc fine Æthiopum antistitibus vas terra plenum præfertur, Sabell. I. VIII. Ennead. X. Reges Mogor in more habent strenuissimos quosque ex populo et quibuscumque opificiis ad militiæ ac reipublicæ munia idoneos assumere: verum, ut eos in officio ac humilitate contineant, jubent eis præferri artium, quas prius exercuerunt, instrumenta, uti fabro malleum, sartori forficem, sutori subulam, uti referunt epistolæ

Indicæ excusæ Moguntiae, anno 1599. Sic quoque Deus voluit ut Moyses populi dux electus virgam pastoralem, qua prius oves rexerat, secum ferret. Homo in mortali suo corpore terram et saccum stercoreum undique circumfert, ut memor originis suæ non insolescat. Quid enim nisi terram et sordes gerit in corpore et egerit ex ore, naribus, auribus, oculis, etc.

Secundo: *Quod opus tuum?* Utique non aliud nisi laborare et pati miserias ac calamitates, quibus subjectus est homo: *Homo nascitur ad laborem*, ait Eliphaz, Job V. « Quis enim numerare poterit, ait S. August. de visit. infirm. c. VI. præsentis vitæ molestias, esurire, sitire, algere, calere, lassari et innumerabilia ex ipsa consuetudine nobis domestica, etc. » et S. Bern. ser. X. in cena Dom. « Quid habet homo miser a mundo? Famem, sitim, nuditatem, frigus crucians, cauma perturbans, scabiem cutis, dolorem capitis, chigram in manibus, podagram in pedibus, morbum in liene, morbum in jecore, undique miseriam intus et extra. » Quis homo immunis est a plaga variolorum et macularum? Ad hæc affligitur homo frequenter a minimis bestiis, muscis, culicibus, cimicibus, pediculis, a quibus vix nec sine magna molestia defendere se potest. Quæsi verunt de his Marcion et Manichæus, cur ea Deus creasset. Quibus S. Hier. (in Ps. XCI. verba illa: *Quam magnificata sunt opera tua* :) « Ego tibi breviter respondeo, inquit, ut ostenderetur o homo, fragilitas tua. Qui enim cogitationem tuam in cælum ponis, respice, morderis a cimice et contremiscis. Quid erigeris in cælum et cogitatio tua transcendit in cælum? Ecce a pulice vulneraris. » Sic ille. Propterea etiam Deus superbiam Pharaonis non per ursos, leones, aut tigrides, sed per muscas, ciniphes et ranas castigare voluit, ut agnosceret humilitatem et infirmitatem suam. Denique: *Morbosum et ærumnosum ipsius Adami corpus effecit*, ait S. Chrys. ho. XI. ad pop. *per ipsam docens naturam, ne unquam talem conciperet congregationem*, scilicet se posse fieri Deum. Atque idcirco cum omnia sua opera Deus laudasset, hominem non laudavit, ne periculo superbiæ exponeret.

Rursum: *Quod est opus tuum?* Quod non sit imperfectum, fragile, luteum. Cæperunt post diluvium ædificare filii Adam turrim Babel; sed quo fructu? Nullo prorsus, nam opus imperfectum relinquere coacti sunt, et pro glorioso nomine quod quærebant, *confusionem* seu *babel* messuerunt. Antiqui pictores et sculptores, sua opera consignabant verbo *faciebat*, non verbo *fecit*, ut indicarent ea imperfecta esse, teste Plinio, in præfatione hist. nat. Sic se habent cætera quo-

que hominum opera: imperfecta sunt, fragilia sunt: telas araneorum texunt: cum infantibus e luto ædificant. Et interim sibi nomen immortalæ quærunt e luteis operibus?

Denique: *Quod est opus tuum?* Peccare nullo fine. Nam apostolo teste ad Rom. III. *Omnes peccaverunt et egent gloria Dei*. Qua sententia proternit et condemnat tam Judæos, quam gentiles, qui se mutuo spernebant et de sua justitia se jactabant. Eadem etiam omnium hominum cristas dejecit, omnes iræ Dei obnoxios facit, et Dei gratia indignos. Dicat igitur unusquisque sibi: Ergo et ego peccavi, et ego gratia Dei, præsertim si cogitet illuc Augustini, hom. XXIII. ex. L. *Nullum est peccatum quod fecit homo, quod non possit facere alter homo, si desit rector, a quo factus est homo*. Quando Philisthæi, remiserunt arcem in terram Israel, posuerunt vasa aurea, quæ voverant pro peccato, in capsellam ad latus arcæ, I. Reg. VI. Rationem dat S. Gregorius: « Quia tum altitudo divinæ cognitionis mentem elevat: ad virtutem humilitatis, infirma nostra præterita ad memoriam reducenda sunt. » Dum ergo animam rationalem gerimus, quantiscumque doctibus præditam, ad latus capsellam peccatorum nostrorum memorem geramus, ne superbiamus.

Tertio: *Quo vadis?* Respondet Deus, Gen. III. *Pulvis es, et in pulverem reverteris*. Unumquodque enim secundum philosophos, resolvitur in ea, ex quibus componitur. Significasse fertur (apud Fab. Justinian. in Tob. cap. IV. de superbia) hoc idem philosophus morti proximus, qui rogatus a discipulis, ut documentum eis quod relinqueret, descripsit duo OO, seu duos circulos. Quos illi sic interpretati sunt, animam et corpus, e quibus homo est compositus, perficere in morte hominis circulum, et redire eo, unde venerunt: animam ad Deum, corpus in terram: hanc esse viam universæ carnis. Quod si homo ob circulum animæ velit se extollere, deprimat se per circulum corporis. Hæc duo S. Bern. I. II. de considerat. Eugenio Pp. expendenda præscribit: *Consideranda*, inquit, *duo hæc simul, rationale, mortale; is tibi exinde occurrit fructus, ut et mortale, quod in te est, rationale humiliet, ut rursum rationale morte confortet*. Si superberit homo ex rationali, quod ei commune est cum angelis, ex mortali fit humilis, quod participat cum jumentis. Rectius forsitan sic expones duos illos circulos; ut corpus quidem, in terram, unde prodit, anima vero ad Deum, iudicem, a quo creata est, progrediatur. Quanta hæc humilitatis materia! Idem sibi inculcari jussit ethnicus rex Philippus, teste Æliano, I. VIII. var. hist. c. XV. « Cum enim in Chæronea fudisset Athenienses,

licet fortuna evector, tamen appetitum rationis subdidit, neque contumeliose aut intemperanter aliquid egit: proinde consultum esse putabat quemdam ex pueris quotidie hoc ei mane in memoriam revocare, quod esset homo; quare puero delegavit hoc officium, neque ipse prodibat antea sicut fertur, neque quisquam, qui eum convenire vellet, prius ad eum introibat, quam singulis diebus puer hoc ter ei proclamasset dicens: Philippe, homo es. » Verum magis patheticè ostensum est viro cuidam nobili, de superbia tentato, quo vaderet in monasterio Hemenrøde, in quo conversatus usque ad senium, porcos pascebat, ut refert Cæsar. I. IV. hist. c. XIV. Is enim demum talia apud se cogitabat: Quod est quod agis Liffarde? (tali enim nomine appellabatur,) tu nobili genere natus, in hoc monasterio a tuis despectus, subulci adhuc personam geris? Recede miser, et eos confunde, qui tuam non agnoscunt nobilitatem. Hæc cum per noctem cogitaret, statuissetque mane e monasterio recedere, illico quædam illi apparuit reverenda persona, quæ ut se sequeretur, manu signavit. Surgens ille citus e lecto, illamque secutus, ostia omnia ad senis aspectum patefieri conspexit, donec ad cœmeterium pervenerunt; quod cum introissent, statim aperta sunt etiam mortuorum sepulera, et senex monachus nuper sepultum Liffardo ostendens ait: *Vides, Liffarde, hanc hominem? Cito talis eris: quo vis ire?* Cumque ad alia putrida corpora multum fætentia conspicienda illum vellet ducere: *Parce mihi, Domine, ait: parce, haud enim illa possum videre*. Cui ductor: *Si quod cito eris, non sustines videre, ut quid per modicam superbiam vis de portu salutis recedere?* Ad se inde reversus Liffardus, promissit, divina auxiliante gratia, perseverantiam, cumque ad cubiculum suum senex illum reduxisset, evanuit. Ecce quam efficaci pharmaco, mortis meditatione, superbia depressa est. *Non est respectus*, ait David, *morti eorum, nec firmamentum in plaga ipsorum*, Ps. LXXII. *Quod non cogitaverunt* (verit Hier.) *de morte sua*, et Chaldæus: *Non terrentur, neque conturbantur propter diem mortis suæ. Ideo tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate*. Non cogitaverat Liffardus de morte, cum eum superbia tenuit. Cogitavit mortem Job, et cinere caput suum aspersit: cogitavit se moriturum, et omnia vana contempsit. Hæc itaque sunt, quæ cogitare debemus ad superbiæ nostræ medelam. Quæ est terra tua? Quod opus tuum? Et quo vadis?

III. *Ex imperfectione bonorum, de quibus homo superbit secundum illum Isaie XL. Omnis caro fœnum, et omnis gloria ejus quasi flos agri*. In primis

enim quid sunt omnia illa, de quibus insolescit et superbit homo, opes, honores, voluptates, fama, forma, vestes, familia, scientia? Nonne aurum, gleba terræ? Honor, fumus? Voluptas, mel exiguum? Fama, opinio hominum? Forma, flos fugax? Vestis aliena, pellis? Familia, virtus, scientia, scintilla luminis? Suntne hæc talia quæ inflare possint hominem, cælo et sublimioribus atque æternis bonis natum? Potestne placere sibi et aliis homo prænobilis in sago rusticano? Atque ut demus hæc aliquid esse, quam modica tamen sunt respectu eorum, quæ non habet homo? Notum illud Socratis factum, qui Alcibiadem ex prædiis suis inflatum duxit ad geographicam tabulam, jubens quærere prædia sua. Quæ cum ibi non extarent: *Cur igitur*, ait, *ob illa insolescis, quæ nulla pars terræ sunt?* Idem de omnibus aliis possessionibus iudicium ferri potest. Quot alii in terris degunt longe te majores, sapientiores, ditiores, nobiliores, sublimiores? Et si forte in terris non sint, quot sunt in inferno dæmones, quorum vel minimus doctior, ingeniosior, fortior, nobilior te est? Et si hi non placent, quia damnati; vide in cælo angelos. « Solitarius equus, ait S. Jo. Climacus, gr. XXV. nonnunquam currere videtur: at si gregi societur, tunc suam agnoscit tarditatem: » et post pauca: « Cuidam fortissimum athletæ Christi, qui ad hanc beatissimam virtutem (humilitatem) festinabat, impuri dæmones laudem in corde subseminabant. At ille divina inspiratione malignorum spirituum nequitiam pio et religioso compendio vincere aggreditur. Describit in cellulæ pariete altissimarum virtutum appellationes, puta perfectæ charitatis, angelicæ humilitatis, mundissimæ orationis, incorruptibilis castitatis, et hujusmodi virtutum reliquarum. Cum ergo illum cogitationes extollere cœpissent, dicebat illis: Eamus ad argentem, adveniensque relegat appellationes illas, sibi que ipsi clamabat: Cum has omnes possederis, tunc scies, quam longe adhuc a Deo sis. Cum enim eas possederis, servus eris inutilis; fecisti enim quod facere debuisti. » Præscribe tibi in tabula fidem Abrahæ, obedientiam Isaaci, fidelitatem Jacobi, castitatem Josephi, mansuetudinem Moysis, patientiam Jobi, humilitatem Joannis Baptistæ; et vide an ea affigeris, et tunc servum te inutilem dic. Quod si ob naturæ dona te inflari sentis, audi Chrysost. hom. XXXIX. ad pop. « Fortis es, et altum sapis: nonne per ea magis humiliari debes? Quare sapis altum in re vilissima? Nam et leo te est audacior et aper fortior, nec es ad eos culex. At et latrones et fures et gladiatores et servi tui fortiores sunt: hoc igitur